

14. Cuius tamen Exaltationis e. a est conditio, ut, κτῆσιν quidem si spectes ac possessionem divinæ Maiestatis, Filius Mariæ iam inde à primo conceptionis momento, Filius fuerit altissimi, & proinde ad dextram Maiestatis divinæ ita jam tum exaltatus, ut sublimius evehi haud potuerit: interim tamen quo ad χεῖσιν sive plenarium usum huius Maiestatis, post resurrectionem demùm intrasse in gloriam & exaltatus esse dici debeat.

15. Vnde duo inferimus πορίσματα. Vnum. Exaltationē istam, de qua nunc disputamus & quæ Christo post sepositam servi formam obtigit, non κτῆσει sive acquisitione novæ alicuius potestatis, sed χεῖσει duntaxat sive plenario usu ac manifestatione pristinae, & in primo conceptionis puncto realiter communicata Maiestatis divinæ, rectè à nobis definiri.

16. Alterum: absurdum minimè posse videri, si utrobique & in primo Incarnationis articulo: & in ascensu ad Cælos Christus exaltatus esse dicatur: Istic quidem, quoad gloriæ & Maiestatis divinæ iura ac κτῆσιν sive possessionem: Hic verò, quoad χεῖσιν & usurpationem plenariam.

17. Quæ distinctione observatâ, omnis boatus Sacramentariorum de Confusione Articulorum Nativitatis & Sessionis Christi ad dextram Patris in fumum & ventos abit.